

turba: prudenter ergo leprosus infirmitatis suae, ac fortis bene conscius in montem non ascendit; sed praestolatur Domini adventum ad illius radicem, ne forte se sermone intromittens, aliis sit molestus, qui contagium metuens cum magno eorum damno à concione Christi discederent; ob ergo commoditatem propriae commoditatis noluit aliis inferre damnum, & perniciem contra propriam aequitatem, & iustitiam.

Nostri modum non est procurandum aliorum damno.

22.

Cum Moyses, ad proponendum Dei mandatum Pharaoni, tendat in Aegyptum; prius tamen, Abiit Moyses, & reversus est ad Iethro socerum suum, dixit ei, Vadam, & revertar ad fratres meos in Aegyptum, ut videam si adhuc vivant; cui ait Iethro: Vade in pace, Exod. 4. num. 18. Noluit Moyses discedere socero in salutem. Illud tamen valde mirum, quod tam faciliter; ac prompte ei licentiam concedit Iethro. Vade in pace, cum magno sui dolore, ob separationem filiae, ac nepotum, & cum magna iactura suae familiae, sui- que gregis. Pecorumque cunctorum ( ut ponderat Lyppomanus) ministerio enim Moysis omnia augmentabantur; illius vero absentia cuncta perditioni erant exposita. Quomodo ergo Iethro, tam gravia damna non metuit? Sed tam prompte ait, Vade in pace? Magnus Iethro ob suum proprium commodum noluit filiorum Israelis utilitati obesse, nec ut suis consulere, aliorum salutem contra iustitiam, & aequitatem noluit impedire. Carthusianus, Iethro, ait fuit magna prudentia, ac consensu cito Moysi, ut rediret, non quod libenter separabatur ab eo, aut quod modice eum dilexit, sed quia postulatio Moysi rationabilis fuit; nec voluit Iethro propria commoda praeferre nihilis, honestisque causis Moysi, generique sui.

Exod. 4.

Lyppom.

Pro tua utilitate ne sis aliis damnum. Chrylost.

23.

Tobias 7.

Janius Tobias, dum recipitur hospitio à Ra- guele filiam suam in matrimonium ei petit. Quo audito, Raguel expavit, sciens quid evenisset illi septem viris, qui ingressi sunt ad eam: & timere cepit, ne forte huic similiter contingeret: & cum nuntaret, dixit ei Angelus, &c. Tob. 7. num. 11. Raguel, vehementissime filiam suam in matrimonium dare optabat, tam ob prolem habendam, quam ut auferret opprobrium à filia sua, quae interfectrix virorum injuriose dicebatur, Tob. 3. num. 9. eo quod septem viri, qui ad eam fuerant ingressi, interfecti sunt à Dæmone; aliunde adole- scens aptior, quam junior Tobias inveniri non poterat; cur ergo timeret, expaveret, & fluctuat Raguel, dum ejus filia in connubium petitur? Nam res alternis vicibus mutantur in melius, & res in meliorem sortem poterat evenire, ut hic ingrediens non moreretur: prudenter tamen Ra- guel tanto terrore consternitur, dum ob sui com- modum, suspicionem akerius damni, timet. Ex- pavit enim ne desiderium suae prolis, occasio in- teremptionis alterius sit: nutat, & fluctuat, ne dum satagit filiae suae opprobrium avertere, alteri mortis laqueos tendat. D. Ambrosius lib. 3. de effie. cap. 14. ait, Raguel cum rogaretur, filiam suam dare in conjugium, vitia quoque filia non ta- cebat, ne circumvenire petitorum videretur tacendo; dedisse enim eam, ait, sex viris, & omnes eos esse mortuos. Justus itaque vir plus alienis timebat, & malebat innuptam sibi manere filiam, quam propter nuptias ejus extraneos periclitari.

Prudens ex- pavet, ne suo com- modo alteri inferat dam- num.

Abulen.

QUESTIO IV.

Quare leprosus sub conditione petat, si vis?

NON absolute petit: Domine, munda me, sed conditione apposita, Domine si vis. Recte respondit primò D. Ambrosius lib. 5. in Lucam. Colluvionis sua conscius non presumit. Idem. Clarius Cassianus lib. 5. cap. 11. Ignarus hic lepro- sus erat, an eum Dominus mundare dignaretur, cum ipse se sentiret indignum, ita verba passionis sua, & affectionis submisit promebat, dicens: Do- mine, si vis, potes me mundare. Hic leprosus, ut prudens sui conscius, se beneficio reputabat indignum, & ideo non absolute petit, sed sub conditione. Domine, si vis, totam rationem, ac causam impetrandi in divinam voluntatem re- fundens. O quam frequenter multi conquereun- tur ob honores non adeptos, quia sui ignari, merita sua non appendunt, nec considerant.

24.

Homo sui conscius, petere non audeat.

Secundò. Albertus Magnus: Non dubitat, ait, sed quia scivit, quod voluntas Dei est omnipotens, & non nisi bona est, & bonum cuilibet facit, & nescit, an sibi bonum esset, quod mundaretur; vel non: ideo sua conditione locutus est; id est: si bonum est mihi, tunc ergo, quod velis. Et si non bonum est mihi, tunc scio, quod non vis. Prudenter agnovit leprosus, quod cum Deus sit pius pater, non dat filiis peccantibus, nisi bona; ac proinde sub conditione petit; agnoscit enim, quod si postulatum est bonum, illud concedet; si autem malum ac nocivum, tunc non annuet. Videt supra cap. 18. q. 10. & cap. 6. num. 67.

25.

Deus sapit ob bonum no- strum, non concedit postulata.

26.

Tertio. Bonus leprosus, nulla merita in se vi- dens, non audeat absolute petere: Munda me sed cum humilitate, & molestia sub conditione ob- secrat: Si vis, potes me mundare. Nam sine meritis magna praesumere, alta affectare, nimia auda- cie est. Regi Achaz conceditur facultas, ut si- gnum petat à Domino. At ille, & dixit, Achaz; Isai, 7. Non petam, & non tentabo Dominum, Isai. 7. n. 11. Magna resolutione respondit, se nolle signum petere; & ratio, quam subdit, valde mirabilis: & Petere sine meritis ten- tatio est. Achaz totus extitit nequitia putridus, venunda- tus est, ut faceret malum; cum ergo esset meritis destitutus, non audeat signa querere, quamvis ini- quus hoc ei non effugiebat; quod si peteret, multis videretur potius tentare, quam exposu- lare; petitiones enim, quae sine enixu meritorum procedunt, potius tentationes sunt, quam ob- secrationes; potius offendicula ponunt, quam vo- luntatem ad bene faciendum sollicitent. Michaël de Palatio in Isaiam. Achaz, ait, iussa Domini diffugiens excusat, tentationis malum nolle subire, se iustificare coram Domino contendit, dicens: Non petam, & non tentabo Dominum, qui aliqui im- piissimus erat, 2. Paral. 28. à n. 1.

Palat.

2. Paral. 28.

QUESTIO V.

Quare leprosus totum committat divinae voluntati?

27. Chrylost.

Cassian. Fulgent.

Psal. 134. 28. Resignan- dum in divi- nam volun- tatem.

29. Incidens du- bium.

Deus illud maxime aspicit quod vis dat.

Cassian. Euseb.

30. Apoc. 5.

Aretas.

RECTE D. Chryostomus homil. 26. sic de hoc leproso loquitur; ait ille, si vis, potes me mundare; neque ait, munda me: sed ipsi cuncta commisit, eumque conferenda sanita- tis Dominum esse confessus est; neque in ipso con- stituit omnium potestatem. Omnipotentiam in eo proficitur leprosus, dum clamat: si vis, potes me mundare. Nam, ut loquitur Simon Cassia- nus lib. 5. cap. 2. 1. Voluntas tua, potentia tua est. Et D. Fulgentius lib. 2. ad Thrasymundum cap. 12. In his verbis ostendit, ait, divinam volun- tatem, plenissimam esse potestatem. Leprosus ergo tam divina gratia illuminatus, quam ex noti- tia aliorum miraculorum, agnoscebat poten- tiam Christi cum voluntate suae esse aequalem; & voluntatem, quaecunque vellet, in actu operari. Omnia quaecunque voluit Dominus, fecit in celo, & in terra, Psal. 134. num. 6.

Secundò. In hoc leprosus ostendit, quod suum vehemens sanitatis desiderium cum ma- gna resignatione submittat Christi D. voluntati; & quod non obstante petitione sua, ipse praeter, quod voluerit, ut si velit, eum sanet; & si nolit, à curatione absteineat: agnovit enim, quod sap- è corporis infirmitas, sanitas animae sit, & ma- ximè ad ejus salutem conducatur: & cum homo nesciat, quod sibi utile est, totum Dei iudicio re- linquit, ejus cognitioni omnia sunt aperta, ac manifesta.

Ex his mihi suboritur dubium. Ait iste le- prosus. Domine, si vis, potes me mundare, vi- detur enim, quod dum Christi D. majestatem ex- tollit, ejus potentiam quodammodo diminuit; nam ait, si vis, potes me mundare. Ergo si ipse non vult, non potest mundare, & hoc est, multum divinae omnipotentiae derogare, & abire, quod leprosus tanta fide illuminatus, hoc exultimaret, & diceret. Quomodo ergo ait: Si vis, potes me mundare. Agnoscebat ille, quod quamvis Deus magnus, & omnipotens sit, apud quem omne verbum non est impossibile; tamen, ita dives in misericordia, & miseratione sua est, ut ob largi- tatem suae beneficentiae, illud quodammodo (no- stro dicendi modo dicam, & timeret se habere, & posse, quod suis dat, & communicat. Ita enim delectatur in beneficiis concedendis, ut munere- rum largitas, potentiae suae sit gloriatio. Et vo- luntas dandi, potentiae sit ostentatio. Ita ait Cal- sianus cit. Voluntas tua, potentia tua. Et Eusebius Gallicanus hom. in Dominica 3. post Epiphan. ita fatur in persona leprosi. Dominus es, Omnipotens es, voluntas tua, opus tuum.

De Agao occiso, qui in omnium sententia, est Christus Dominus clamant seniores in Apo- cal. 5. n. 12. Dignus est Agnus, qui occisus est, acci- pere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedi- ctionem. Recte dubitat Aretas: quomodo senio- res alta voce insonant, Agnum dignum esse acci- pere virtutem, divinitatem, ac sapientiam, glo- riam, & honorem, cum omnia illa ipse habeat à primo instanti incarnationis suae, in quo divini-

tas hypostaticè naturae humanae est unita. Pul- chre Ansbertus lib. 3. in Apocal. difficultatem sol- vit, quod sermo sit hic de Christo D. prout est una persona mystica cum sua Ecclesia, ac proinde dona suae virtutis, divinitatis, ac sapientiae, & fortitudinis, quae ipse sua morte Ecclesiae, ac fide- libus dedit, & communicavit; sua sapientia dispo- nit, ut publica, & magna voce, cives caelestes cla- ment, & decantent; quod ipse accipiat, & habeat, quae nobis largiri dignatus est. Ansbertus lo- co citato. Quia verò, ait, Christus, & Ecclesia una sunt persona, possunt haec quadam ratione ad ipsam referri. Dicatur ergo: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, &c. Ac si diceretur, in membris suis. Cum enim ipse sit Dei virtus, ac Dei sapientia, in corpore suo (quod nos sumus) accipit, quod in se ipso possidet, de illo scriptum legitur: Accipit dona in humi- bus. Psal. 67. n. 19.

Ansbert.

Illud de- cantatur Chrystum habere, quod dat sua.

Ansbert.

Psal. 67.

Videns Abrahamus tres viros, occurrit eis, & tanquam cum uno loquens, ait: Domine, si in- veni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum, Gen. 18. n. 3. Invenire gratiam, idem est, ac beneficium accipere, ut notant ibi Chrystos- mus, Cajetanus, Lyppomanus, Gleaster, & alij. Et haec est valde solemnis phrasia Scripturae. Si ergo Abrahamus hospitalitatis beneficium con- ferebat quomodo protestatur, illud accipere, si invenit gratiam? Domini ingenium hauserat ma- gnus ille servus ejus; & ideo donum, quod lar- giebatur, sibi persuadebat accipere; ac proinde dum domum suam in hospitalitatem offerebat, non judicabat se aliquid dare, sed quid magni recipere. D. Chryostomus homil. 41. in Gen. Si invenit gratiam in oculis tuis, hoc est, ait, mira- bile beneficium das, non accipis, verè enim ejus ino- dices est, quae magis accipit, quam dat.

Gen. 18.

Chrystos- mus, Cajetan. Lyppom. Gleaster.

Stultus dum dat, sibi persuadet recipere.

Chrystos.

QUESTIO VI.

Expenduntur virtutes, ac excellentiae, quas leprosus ostendit in hac sua petitione.

MULTA sunt ornamenta virtutum, qui- bus haec pretiosa leprosi petitio condeco- rata est; quae ad septem capita reduco. Primò, in petitione, magna praevisione usus est. Perbellè ait Origenes homil. 5. in diversos, in persona leprosi loquens. Te ego ut Deum adoro, ideoque & Dominum dico, opera prius contestans, & sic verba loquens. Prius opera exhibet eum genuflexo adorans; & prociens in faciem suam, & postea verba profert: Si vis, potes me mundare, opera prius permisit; quam verba, ut fa- cilius exaudiretur.

32.

Origen. Prius ope- ra quam verba.

Secundò. Magna prudentia hic declaratur. Chryostomus homil. 26. Non inconsideratus ser- monem docentis incidit, sed expectavit tempus aptissimum, & ubi descendit, jam ei apparuisse, me supplicavit. Prudens convenientem explorat occasionem, & ideo non postulat, dom Domi- nus est in sermone docens, nec illum interrumpere audeat, sed opportunum tempus praesto- latur, quando ad miraculum descendit: conveni- ens autem tempus maxime ad petitiones ob- servandum

33.

Opportuno tempore postulandum. Prudentia leprosi ex multis com- probatur.

servandum est. Deinde hanc prudentiam monstra- vit suis verbis; nam cum se iudicaret non habere merita, nec amicitiam, cum Christo D. non audeat diserte petere, sed insinuatione tantum. Et ad hanc multa ponit argumenta. Domine, si vis, potes me mundare. Primò, Domine; ergo cum talis sis, ad te pertinet de servis curam agere, ac eos sanare. Secundò, Si vis, magna facilitas tibi est in hoc negotio; non enim multum operis, & laboris tibi necessarium est, sed natus voluntatis tuae sufficit. Tertio, Potes. Ecce magna potentia tua, quæ sola potest remedium dare, ac proinde ipsa tua magnitudo motivum tibi sit ad auxiliandum, mihi. Quarto, Me mundare. Mea ergo necessitas, ac miseria potentiam tuam allicit ad remedium, ac adjuvamen.

34. Euseb. Gal.

Magna leprosi fides. Origen. Euthym.

Abulens. Maldon. Beaulxam. Bartadas.

Math. 8.

35. Ambros.

Confessio sit humilis, verecunda, & integra.

Anselm.

36. Diligentia leprosi, ipse quarit Dominum.

sti Domini conspectui molestias adferret, à quo sanitatem exposcebat, procidit in faciem suam, ut ita incompotitiam deformitatem vultus sui ob lepram cooperiret, & malum odorem à Domino presentis maiestate averteret, quod timor ejuisdam reverentia fuit; ut notat hic Toletus Tolet. in Luc.

Septimò, D. Chrysostr. Polchrè, ait, spiri- 37. tuali Medico, spiritualem offeri mercedem: scilicet fidelem orationem, qua nihil dignius Deo offerimus. Sanitatem à Domino petit leprosus, & ad tantum beneficium impetrandum, spiritualem retributionem Christo Domino offert: nempe orationem suam, quam pro magna mercede habet Dominus, si quidem nil ei gratius exhiberi potest.

Pharisæus, & Publicanus in templam ascen- dunt: Pharisæus sic dicebat. Gratiar tibi ago Deus, quia non sum sicut ceteri homines: raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic publicanus: seculo bis in sabbato decimas do omnium, quæ possideo, hæc dicebat Pharisæus. At Publicanus, solum peccatus percussus, orans clamabat ad Dominum, Propitius esto mihi peccatori. De his statim subdit Dominus, Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Luc. 8. n. 14. Hic duo homines astant in templo. Pharisæus decimas omnium suorum solvebat, & cum ipse esset valde dives, & præpotens, decimæ ab illo data ad magnam summam fructuum, ac rerum pertinebant. Publicanus autem nihil largitur, nec offert: & tamen hic cælestibus donis cumulatur; à quibus Pharisæus excluditur. Pharisæus, licet multum de bonis suis daret, nil tamen rogabat à Domino. At Publicanus licet nil daret, orationem suam offerebat: Propitius esto mihi peccatori; & Deo magis placuit, ac pro maiori oblatione, ac donatione illi accepta fuit humilis oratio Publicani, quam ingens bonorum copia Pharisæi. Albertus Magnus serm. 41. Decimas dat Pharisæus, & nihil rogans ob suam superbiam in peccatis manet; at Publicanus orans ad Dominum, iustificatur, ejus humilis oratio in magno pretio eras apud Deum.

Ait Regius Vates Psal. 115. n. 12. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? & respondet. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Maxime obligatum divinis beneficiis se agnoscit Propheta, & pro tantis donis acceptis, quærit, quid possit in retributionem Deo dari? Tandem in hanc resolutionem erumpit, Calicem salutaris accipiam; hoc est, calix mortificationis, seu penitentia; & tunc Domino dante, pro retributione donorum contentus est Propheta? Minime; sed addidit; & nomen Domini invocabo, hoc est, oratione mea constetor Domino. Agnoverat enim, quod pro beneficiis acceptis, calix penitentia non erat proportionata retributio, nisi simul esset præmissa oratione, quia hanc pro mercede magna, & retributione Dominus habet. Incognitus: Dedit tibi calicem Salvatoris, quem accipiens, & invocans nomen Domini, retribuas ei pro omnibus, quæ retribuit tibi.

Matth. 8. n. 3. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare, & confestim mundata est lepra ejus.

A quo beneficium petis, noli molestiam dare. Deus orationem nostram pro mercede habet.

38.

Luc. 18.

Nestra oratio coram Deo, pro magna oblatione.

Alb. Magn.

39. Psal. 115.

Oratio pro magna mercede ad Deum.

Incognit.

VERSIO

VERSIONES.

Syriacus. Et extendens manum suam Ieschna admovit ei, & ait: Volo ego: mundus esto; & in illa ipsa hora, mundata est lepra ejus.

Varablus. Protensaque manu, tetigit illum Iesus dicens Volo, mundus fias. Ac protinus.

Arabicus. Illico mundata est.

ALTER TEXTUS.

Marc. 1. n. 4. Iesus autem misertus ejus, extendit manum suam, & tangit eum, ait illi: Volo, mundare; & cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est.

Lucæ 5. n. 13. Et extendens manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim lepra discessit ab illo.

EXPOSITIO.

ENE notat Albertus Magnus. Extendens Jesus manum. Quod dum leprosi sanitas describitur, nomen; quod hic interponitur, est Jesus: in quo significatur sanitas, vita, & salus. Extendens manum. Leprosus venerat ad Dominum, procidens in faciem suam (ut exponit D. Lucas) se iudicabat indignum, ut ante Domini oculos appareret; ac proinde in faciem suam procidit (ut dixi superiori expositione,) veluti cooperiendi faciem suam, ac turpitudinem morbi sui, Christus Dominus hanc illius humilitatem, ac reverentiam honorans, ac extollens, non solum eum suis corporalibus oculis aspicit, sed etiam tactum manu propria illi concedit. Et adverte, quod dum Evangelista ait, Extendens manum; denotat, quod ob reverentiam leprosus non multum ad Dominum approximavit, unde ipsemet Christus Dominus extendit, & ad eum manum porrigit. Juxta Marcum habetur: Extendit manum suam, nulla alia manus, sed solum Domini manus dat salutem vitam, ac remedium.

Dicens: Volo, mundare. Leprosus obsecraverat à Domino voluntatem, & potestatem. Respondet Dominus, voluntate, & potestate. Voluntate, volo: potestate, mundare, quod non est infiniti modi activi, sed imperativi vocis passiva, & idem est, ac mundus esto, ut habet Syriacus. Rectè D. Ambros. in c. 5. Luc. inquit, Dominus dicit, Volo, propter Photinum: imperat, propter Arrium: tangit, propter Manichaum. Dum Christus Dominus ait, volo ostendit voluntatem suam esse divinam, ac omnipotentem, & refutat Photinum, qui asserbat Christum puram hominem, & non Deum, dum imperat, mundare, seu mundus esto;

40. Alb. Magn. Nomen IESU S U S salutaris.

Deus humiles hono- rat.

41.

Syriacus. Ambros. Refutantur hæreses.

ostendit se æqualem Patri, & refutat Arrium, qui dicebat esse minorem: cum autem tangit, ostendit veram carnem, & refutat Manichaum, qui asserbat, corpus Christi Domini esse phantasticum; ac proinde hoc facto tres hæreticorum errores Dominus jugulat. Deinde ait D. Paschasius lib. 5. Math. notat, quod Dominus verbo, & tactu curat; ut ostendatur, in verbo divinitas, & in tactu humanitas.

Et confestim, seu, ut habet Arabicus, Illico mundata est lepra ejus, id est, homo mundatus est, Arab. & integram sanitatem recepit: quod peroptime notans Orig. hom. 5. in diversos, ait, Non dubitasti credere, non tardo sanare. Non distulisti confessionem, non differo te mundare. Non distulit remedium Dominus, ut factum in Lazaro videmus; ac in Chananea, sed sine ulla constatione illi dat sanitatem: nam leprosus Domino occurrens statim absque mora fidem suam manifestat, Domini potentiam, clara voce contestans: Si vis, potes me mundare; & suas maculas aperte confiteretur, dum mundari postulabat, & sedula, ac fervida fides sine dilatione mercedem recipit, sicut & diligens confessio absolutionem.

QUESTIO VII.

Anticum Dominus manum extenderit, lepra discessit; ita ut manus Domini mundam carnem tetigerit?

PRO istius questionis explicatione, cum Abulensis norandum est quæst. 12. Tolet. in cap. 5. Luc. annot. 20. tangere leprosum Tolet. non esse expressè prohibitum lege. Nam lex præcipiebat, ut leprosum extra castra eijcerent, & si quis tetigisset eum, immundum esse lex ipsa decernebat, donec purgaretur. Tangens leprosum, erat re, non erat lege prohibitum; immo eum sepelire opus maxime laudabile; ut patet in Tobia. Et tamen lex determinabat, eum esse immundum, donec certis mundaretur ceremoniis, Numer. 19. n. 21. sic etiam leprosum aliquando tangere, opus valde laudabile; & ideo si simpliciter esset lege prohibitum positiva, magnum sequeretur inconveniens; quia aliquando ad hujusmodi tactum lege naturali obligatur homo, vel ratione medicinæ adhibendæ; vel ratione gravis, ac extremæ necessitatis, si in illa leprosus esset constitutus. Unde, quando Patres, ut Chrysostr. Ambrosius, Paschasius, Tertullianus, Origen. citandi docent, leprosi hujusmodi tactum in lege, esse prohibitum, interpretandi sunt de prohibitione quoad munditiam.

Veniamus jam ad nostram questionem. Ante Domini tactum, ad extensionem illius manus sit lepra effugata, ut Christus D. non hominem tetigerit lepra infectum, sed jam puram, & mundum? Respondendum est cum communi sententia, quod quando Christus D. hominem tetigit, adhuc illius caro lepra erat resperfa. Ita docent Antiochen. in Marc. D. Ambros. lib. 5. in Antioch. Luc. D. Chrysostr. homil. 26. D. Paschal. lib. 5. in Ambros. Math. D. Antonius Ulyssip. in Domin. 3. post Epiphan. Beda, Haymon, & alij. Ratio est; quia omnes tres Evangelistæ, hanc historiam narrantes, Haymon.

42.

Origen.

Diligens de- ter remune- ratur.

43.

Tangens leprosum, erat secundum legem.

Quomodo Patres expli- candi.

44.

Resolutio quæstionis.